



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Heremitarum in Helvetiis pervetustum olim Idolion, ..., Germanica lingua
zum Einsidlen dictum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

*Mox anni venient felices, ibit & aurum
 In priscum hæc ætas vindice læta Deo.
 Omnia tunc etiam nobis feliciter ibunt,
 Pulchrius & quàm nunc forsitan ire solent:
 Tunc etiam incedes tu, non carbone notatus,
 Ut nunc, sed nivo in marmore sculptus eris.
 Pauperis interea fortune conditionem,
 Ut facis, hanc humilem consule quæso boni.*

*Wolffg.
 à Schirnting.*

Sub ejus gubernatione humatus est in ejus loci templo strenuus ac nobilis heros, D. Wolfgangus à Schirnting, regulorum & equestris ordinis hominum non postremus in Prætoriana terra, qui apud Schlabathenhofium in arce ad Reslavum amnem sita habitavit & ex hac mortali vita decessit hoc anno 1550. cui charissimo parenti optimo filius, Dominus Fridericus Pfittacus de Schirnting, me authore & instigatore tale posuit gratitudinis ac sempiternæ memoriæ ergò monumentum:

*Wolfgangum à Schirnting Fridericus Pfittacus isto
 Deposuit patrem stensq; dolensq; loco,
 In thalamum sponsam cum vix duxisset & inter
 Gaudia misceret se gravis iste dolor.
 Christus ab æthereo spectans mortalia templo
 Transferat in cœli regna beata senem.*

Est vero & aliud ibi de ejusdem defuncti conjuge additum distichon elegiacum me authore natum, quod tale est:

*Ursula de Kotzaw, Wolfgangi nobilis uxor,
 Sub saxi ejusdem formice læta cubat.*

HEREMITARUM in Helvetiis pervetustum olim Idolion, nunc cœnobium ordinis Divi Benedicti celeberrimum & opulentissimum, Germanica lingua zum Einsidlen dictum, in quod antiquitus Principes tantum, Comites ac Barones summo loco nati accipi solebant, non procul à Tiguro in Silii fluvii vicinia situm, anno Christi 860. cœpit, temporibus Ludovici II. Rom. Imp. ædificante sibi illic sacellum & cellulam S. Meginrado, Bertholdi, illustris Comitæ à Sulgow ad Danubium habitantis

S. Meginradus.

tantis imprimis religioso filio, qui monachus antea & monachorum pædagogus amplissimi cœnobii divitis Augiæ, relicto monasterio, in hujus loci tenebrosissimam Eremum religionis ergo concessit, ubi mundi delitiis omnibus contemptis Deo jejuniis ac orationibus tamdiu serviebat, donec anno 863. à viatoribus duobus (qui Tiguri postea rotæ & igni adjudicati sunt) trucidaretur, eo ipse tempore, quo Salomon primus Episcopatus Constantiensis præfesset: unde vetus adhuc extat versiculus:

Sub Salomone primo Menradus vixit & ante.

Meginradus ad Augiam divitem reductus & ibi honorifice est sepultus. Cella ipsius vacabat post ejus mortem annis penè sexaginta. Tum Decanus quidam summi collegii Argentinensis, *Eberhardus* nomine, annum Christi circiter 923. eremiticæ vitæ studio, relictis rebus suis omnibus, in hanc ipsam eremum egressus est, & collapsam S. Menradi cellulam reparavit & mediocre delubrum ibi construxit, in quo Deo precibus & jejuniis servire ipse quoque solebat. Ad hunc *Eberhardus* venit, elapsis aliquot annis, Gregorius quidam, Eduardi Regis Angliæ filius, Domine Edithæ Imperatricis (quæ Othonis Magni Imperatoris prima conjunx fuit) germanus frater, vir per omnia religiosissimus. Accessit tandem tertius etiam, Benno vel Benedictus, Canonicus quidam Argentinensis, Episcopus tandem Metensis factus. Primum ejus loci templum, accedentibus, ut scribitur, Dei Opt. Max. suffragiis coelitus demissis, dedicatum est anno Christi 943. à S. Conrado, Constantiensis Episcopo, Comite Altorfensi. Accidit autem, ut post Edithæ Imperatricis mortem Imperator Otho Magnus ab Agapito II. Pont. Max. exoratus in Italiam proficisceretur anno Domini 947. reprimendæ Saracenum irruptionis & tyrannidis ergo. Rebus vero ibi feliciter gestis, cum ducta ibi secunda conjuge, Domina Adelheide, Burgundionum Regis Rudolphi filia, Lotharii vero Italarum Regis relicta vidua, in Germanias rediret, & in eo itinere multa audiret de S. Menradi cella, & Edithæ conjugis suæ primæ germano fratre & affine suo Gregorio, fecit ipse, à conjuge sua Domina Adelheide quoque admonitus, ex Eremitarum exiguo & humili domi-

domicilio magnificam D. Benedicti Abbatiam Einsidelensem, quam amplissimis proventibus annuis dotavit, ac datis totis provinciolis opulentissimam effecit, pauperumq; Principum, Comitum & Baronum hospitale perpetuum esse iussit. Hinc postea multorum Principum liberi in eo vixerunt, Chuno videlicet & Henricus, Geroldi Saxonum Ducis filii, Ulricus item & Dietlandus, Sueviæ Duces: Joannes, Burgundionum Dux, & alii plurimi. Primum ejus loci Abbatem instituit Imperator Otho affinem suum, Gregorium, qui præfuit ad annum usq; Christi 996. & valedixit humanæ inter mortales conversationi ac vitæ. *Chronicon Einsidelense* Eberhardum pro primo Abbate habet, Georgium pro secundo, quibus postea annumerantur Abbates sequentes, à Sueviæ Principibus amplissime donati, ita ut Abbatia hæc mox ad summas opes pervenerit.

Abbatum series.

3. *Wrandus*, Comes à Wandelburg & Dominus in Rapperswil, tertius Abbas, præfuit 30. annis.

4. *Embricus*, Baro de Abensperg, Bavarus, Canonicus Freisingensis, eligitur in quartum Abbatem anno Domini 1026. Præfuit annis 26. Obiit anno Domini 1052. cum paucis annis ante suam mortem totum penè cœnobium incendio vastatum esset, quod ipse anno 1051. pulchre pristinae formæ ac dignitati restituerat.

Winterthur.

5. *Hermannus*, Comes à Winterthur, vel, ut alii volunt, de Kiburg (quæ arx civitati Winterthur in Helvetiis sitæ confinis est) successit Embrico. Præfuit annis 14. Illustravit pulchre iterum cœnobium suum. Habuit fratres, Adelbertum & Luitfridum, maximos benefactores Einsidelensis monasterii. Valedixit mortali huic vitæ anno Domini 1065.

6. *Henricus*, sextus Abbas, præfuit annis quinque; & obiit anno Domini 1070.

7. *Selingerus*, Baro à VVolhusen, relicta vita conjugali, eo quod in lacu, arci suæ vicino, liberos omnes amiserat, monachus factus anno Domini 1070. Abbatia Einsidelensi præficitur. Uxor ejus Hedowigis, Abbatissa in Dominarum monasterio Tigurino designata est. Fuit Abbas iste duci Suevorum Rudolpho

pho imprimis charus. Resignavit gubernationem anno 1090. Obiit anno 1094.

8. *Rudolphus* octavus Abbas eligitur anno 1090. Præfuit annis 11. Obiit anno 1101.

9. *Gero* eligitur anno 1101. Præfuit annis 21. Condidit maximis sumptibus saxum pontem, quo Silli annis utraq; ripa connexa est, quem *Diaboli pontem* vulgo vocant, & aliqui à Diabolo conditum esse fabulantur, eo quòd architecto fortassis nomen fuerit Diaboli. Obiit Abbas iste anno 1122. Diaboli Pons.

10. *Wernberus*, Baro de Altpuren, eligitur año Domini 1122. Præfuit 20. annis sub Imperatore Henrico V. Obiit anno Salutis 1142.

11. *Rudolphus II.* eligitur anno 1142. Obiit anno 1171. cum præfuiſſet annis 29.

12. *Wernberus* secundus, Comes à Dockenburch, eligitur anno 1171. à conventu.

13. *Warinus*, Sangallensis monachus & Comes à Rapperswil, eligitur in Abbatem Einsidelensem eodem anno 1171. ab Advocatiæ præfecto, Rudolpho, fratre suo, Comite de Rapperswil. Hi duo contenderunt de dignitate per biennium, donec anno Domini 1173. Seckhingum veniret Imperator Fridericus Barbarossa, qui cum consilio & consensu Principum utrumque Abbatem exauthorans, in duorum locum unum designavit.

14. *Wernberum* tertium, qui cum annis 19. præfuiſſet, abdicavit se magistratu volens anno Domini 1192. Fuit magnus ampliator & illustrator cœnobii Einsidelensis, quod sub eo 200. marcis opulentiùs factum esse legitur. Successit huic VVernhero unanimi omnium consensu electus.

15. *Ulricus*, Comes de Rapperswil, anno 1192. Præfuit non admodum utiliter annis 14. & exauthoratur ac dejicitur ex Abbatia gubernatione anno 1206.

16. *Bertholdus* à VValdsee, Baro vetusti sanguinis de sancto Monte, eligitur anno 1206. Præfuit 8. annis, reparator eorum, quæ dilapidarat antecessor. Resignavit Abbatia gubernationem senio confectus.

17. Con-

Chronologia
misterio
S.M

17. *Conradus*, Comes à Thun, eligitur anno Domini 1214. Fuit germanus frater Henrici, Episcopi Basiliensis. Præfuit annis 20. Anno 1226. periiit incendio cœnobii templum, quod sequentibus annis pulchre est ab hoc Abbate Conrado instauratum. Percussus cæcitate, occulto Dei iudicio, resignavit Abbatiam anno nati Servatoris nostri 1234. Anshelmo.

18. *Anshelmus*, Baro à Schwanden, ex Glareana provincia natus, eligitur in Abbatem Einsidensem anno Domini 1234. Præfuit 33. annis utilissime. Condidit castrum Pfficonense ex imis fundamentis, & magnificam domum intra muros Tigurinos. Donatur infula & aliis ornamentis Episcopalibus ab Innocentio IV. Roman. Pontific. Confirmatur Imperii Princeps à Friderico II. Roman. Imper. Valedixit mortali vitæ anno Domini 1267.

Pfficonense castrum.

19. *Ulricus*, Baro Winidensis, antea Præpositus Trajecti ad Limagum, eligitur in Abbatem anno salutis 1267. Præfuit 10. annis. Obiit Comi in Longobardis anno Domini 1277.

20. *Petrus*, Baro à Schwanden, Anshelmi Abbatis ex fratre nepos, successit Ulrico. Præfuit tribus annis. Obiit anno Domini 1280. in facello quodam Tugensi fulmine tactus.

21. *Henricus*, Baro à Guttingen, præfuit 18. annis. Obdormivit in arce Pfficonensi anno Gratiae 1298. Revelitur in eremum suam.

22. *Joannes*, Baro à Schwanden, eligitur anno 1298. Quamdiu is præfuerit, non invenitur in factos relatum. Resignavit tandem successori.

23. *Joannes* ab Hasenburg successit Joanni à Schwanden, ex cellæ magistro Abbas factus; sed aliud de eo reperitur nihil.

24. *Conradus* à Goskon, ex Argovia natus, de quo nihil habemus amplius.

25. *Henricus*, Baro à Brandis, ex matre Comitissa Nellenburgensi natus, prudenter & utiliter præfuit cœnobio, ex quo tandem anno Domini 1356. ad gubernationem Episcopatus Constantiensis evocatus à Cardinalibus auro corruptis. Præfuit quidem 26. annis; sed & urbi invifus & suis Canonicis ingratus non

non admodum profuit. De quo plura in Episcopatibus nostris. Habuit fororem Agnetem, Abbatissam Seckhingensem.

26. *Marquardus*, Baro à Grunenberg, successit *Henrico* anno 1356. Præfuit annis 20. Acquisivit Richenburgum cum adiacente territorio. Obiit anno 1376.

27. *Nicolaus*, Baro à Guntenberg, Hercynius, eligitur anno Domini 1376. evocatus ex Augia divite, de quo nihil amplius in annales relatum legitur.

28. *Petrus*, Baro à Waldhufen, ob vitæ bonitatem *Pater Patrum* vulgo cognominatus, successit *Nicolas*, sed quo tempore, aut quamdiu præfuerit, ignoratur. Habuit fororem *Wandelburgin*, Abbatissam Tigurinam. De hujus Abbatis *Petri* in gubernatione Einsidelenfis monasterii successoribus nihil amplius certi invenio ad annum usq; Christi 1509. quo totum monasterium calamitosissimo incendio periit sub Abbate *Conrado*, nobili viro de *Rechburg*, decrepito sene, cui additus est quasi coadjutor & vicetenens, Dominus *Theobaldus à Geroltzegko*, qui annum Christi circiter 1524. compositiones quærens cum *Cinglianis*, factus idcirco suis invisus cessit. Post obitum vero Abbatis *Conradi* designatus est in ejus locum *Ludovicus Blauererus*, Constantiensis, conventualis Sangallensis, qui obiit anno Domini 1544.

Tantum de Einsidelenfi cenobio. Plura enim consequi hætenus nequii.



HORREUM Treverense, ex *Dagoberti Galliarum Regis* palatio seu horreo potius, in quo à trituratoribus regis aulæ frumenta exuti solebant, unde loco nomen contigit, monasterium factum olim Canonissarum, hoc est, liberarum & ab omni voto immunium Dominarum amplissimum collegium, hodie vero sororum instituti *Benedictini* præpotens monasterium, (quod *S. Matthiæ Treverensi Abbati* subest) in honorem *B. Virginis matris* temporibus *Modowaldi*, *Trevirorum Archiepiscopi*, fundatum est anno Domini 606. locupletatum vero anno Domini 645. à *Dagoberti Galliarum Regis* ex *Mathilde* filia, Domi-

Domini